

quam : sed venit etiam in illos centum viginti . VIII. Jam vero quo se externo signo prodiderit Spiritus Sanctus, in eam hominum multitudinem effusus, paucis verbis enarrat Lucas Actuum 2. Nempe prodidit sese sub symbolo linguarum ignearum : Apparuerunt illis dispartite lingue tanquam ignis, sedique supra singulos eorum . Quae verba ita communiter accipi video, ut vulgo patetur, miraculum illud, ac symbolum in eo fuisse positum, quod super singula Apostolorum, ceterorumque Fidelium capita apparuerint dispartitae, seu distributae linguae, velut igneae . Unde & Pictores linguae Caelo delapsas depingere solent, furtim flammantes, & figura pyramidalis ex ejuisque capite in acumen surgentes . Quam quidem sententiam licet damnare non auiam, ad studiosa tamen iuuentutis institutionem, non omiserim observare : viros nonnullos eruditos, rem aliter gestam existimare, patrarumque miraculum in eo positum dicere, quod, cum omnes illic sedentes, ad repentinum sonitum adveniens veluti spiritus vehementer stupentes haerent, atque attoniti, ore hiant, atque aperto; illorum ipsorum linguae in ore proprio sint visae velut igneae, & quidem dispartitae, seu dissectae : ut sicut linguarum igneae praeignabatur infusa charitatis ardor, ita scilicet linguarum forma, concessa illis polyglotta designaretur . Et quidem veteres Patres vocabuli huius ambigui, unde communis sententia nata est, certam intelligentiam dedere ; & dispartitae linguae, pro dissectis, atque divisis, non pro distributis super Apostolorum capita accipiendas monentur . Sic D. Cyprianus lib. 3. Testimoniorum ad Quirinum Cap. 101. D. Augustinus lib. 5. de Actis cum Felice Manichaeo Cap. 5. & lib. de Trin. c. 4. Idacius Clarius lib. 3. adversus Varimadum Arianum, aliique communiter legunt : *Vise illis linguae dispartitae sicut ignis*. Vetus etiam Translatio habet : *Vise sunt illis dissectae linguae velut igneae*. Scholion quoque Vatabli, & Hugo a S. Charo Cardinalis, dispartitae linguae, id est, dispartitae . Quin & hunc ipsum sensum Textus Graecus aperitissime refert . Pro eo enim, quod in vulgata versione Latine legitur, apparuerunt illis, Grace habetur *εφωτισθησαν* ; & pro eo quod legimus, dispartitae linguae, Grace habetur, *διεμερισθησαν*, hoc est, dissectae in duas veluti partes, non distributae, ut vulgo creditur : dissectae, inquam, in ipsorum oribus, non capitibus insidentes . Profecto, iniquant Eruditi viri, ut ardor ille Divinus, variarumque linguarum peritia, quibus tunc ad praedicandum Evangelium Apostoli donabantur, opportuno signo monstraretur; congruentius longe erat, illorum ipsorum linguae ignitas, ac scilicet divinitus apparere, quam symbolicas linguae ex alto demissas illorum capitibus insidere . Data quippe divinitus signa, quorum exempla tam multa leguntur Sacris in Litteris, quamquam supra naturam esse soleant, eam tamen, quantum aliunde fieri potest, imitantur . Quid autem a recto naturae ordine abhorret magis, quam linguae capitibus insidere? Quare quod addidit ibidem in Actibus : *Seditque supra singulos eorum*; non de illo igne symbolico dictum est, seu de linguis flammantibus, quasi illorum capitibus insederint : alias viriata locutio esset, dicendum quae fuisset : *Apparuerunt illis dispartitae linguae tanquam ignis, sederuntque supra singulos eorum* : sed de ipso Spiritu Sancto dicitur, qui supra eos federe intelligitur, in quorum cordibus habitat : de quo idcirco proxime subditur : *Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto* . Ipsa etiam Ecclesia eum Scripturae locum usurpans, atque transcribens in solemnem precum Officio tempore Pentecostes, ita

disertissime legit : *Apparuerunt Apostolis dispartitae linguae tanquam ignis : seditque supra singulos eorum Spiritus Sanctus* . In Resp. feria tertiae . Sedit igitur Spiritus ipse, hoc est, constanter in Apostolis mansit, non igneae linguae ; quae ut erant symbola dumtaxat fugacia, & transitoria, sedisse dici non possunt . Hinc Chrysostomus Homilia 4. in Acta : *Insuper singulis illorum Sp. S., hoc est, mansit apud illos, & in illis requievit . Nam sedendi verbum stabilitatem, ac mansionem declarat* . Totum id observavit Laurentius Valla in Cap. 2. Actuum, *Erant autem linguae eorum, & multitudine, & velut igneae, ad significandam idiomatum varietatem; non linguae igneae super vertices eorum, ut quidam volunt*. Observavit perinde Philippus Rohr in Pictore errante Cap. 16. *Conspicuae sunt illis, non super illos, non super illos, aut in Capitibus illorum linguae quae in proprio stant significata, a quo, nisi urgeat necessitas, non est recedendum* . Cui praetulit Ursinus lib. 6. Analectorum Cap. 38. Quorum tamen auctoritati nihilo plus tribuo, quam Viris eruditissimis, linguarumque peritis, quos ab Ecclesia segrages fecit Heresis, tribui debeat .

IX. Illud unum dissimulare nec debeo, nec possum, Lorinum, & Sylveiram, vulgaris sententiae, de linguis igneis Apostolorum capitibus insidentibus, fervidos defensores, Patrum auctoritate atque praesidio perperam gloriarum . Cyrillus siquidem Alexandrinus, quo nituntur maxime, id unum habet Catechesi 17. *In specie linguarum ignearum sedit super illos, ut novae Coronae spiritalis, per linguas igneas imponantur capitibus ipsorum* . Qua loquendi formula non id ait Cyrillus, quod illi summe vellent, super Apostolos linguae igneae insedisse; sed super illos, hoc est, in illorum cordibus sedisse Spiritum Sanctum, modo superius explicato : nec ait, ignitas linguae, tanquam spiritalis coronae capitibus insedisse : sed id significat unum, linguae ignitas certa fuisse spiritalium coronarum praesigia, quas Apostoli praedicatione evangelica sunt adepti .

Anastasio Sinaitae verba ab iisdem fide minus integra recitantur : quasi in duo Scripturae loca mutuo conferens, ( Genesis 1. *Spiritus Domini ferebatur super aquas* : & Actuum 2. *Sedit supra singulos eorum Spiritus Sanctus* ) ita scripserit lib. 3. in Hexameron : *Spiritus Domini ferebatur, seu incubabat super aquas, eas nempe cogens & uniens, quoniam aquae populos Gentium praesignabant : his vero gentes uniendo praesignarunt linguae insidentes super Apostolos, destinatas ad praedicandum gentibus* . Non sic tamen scripsit Anastasius, ut obrudatur, sed ita simpliciter : *Spiritus ferebatur super aquas, tunc ipse spirans eas coegit, & univit in unam congregationem : & hic ipse Spiritus adveniens & spirans fecit gentium unionem* . Illic scriptum est, *Spiritus insedit* : & hic scriptum est, *sedit super unumquemque ipsorum Spiritus Sanctus* . Ex quibus profecto nihil extunditur, unde colligi possit, ignitas linguae Apostolorum capitibus insedisse; sed ut ut maxime, super universos Apostolos sedisse Spiritum Sanctum : Quod quo sensu sit dictum, satis antea declaravimus .

Nec felicius in eam sententiam trahitur S. Casarius D. Gregorii Nazianzeni frater, ex cuius Dialogo tertio verba haec proferuntur, quibus Joannis uterque, Baptista scilicet, & Evangelista mutuo conferuntur : *Ille divinum & sacrosanctum Spiritum specie columbae vidit tantum, super Verbum in carne baptizatum, ex Caelis volentem : hic autem in specie linguae ignis, super suum ipsum proprium caput accepit, una cum Condiscipulis in die Pentecostes* . At non erat id Lorino & Sylveira dissimulandum, verba haec, uti & alia bene multa

ta dialogis illis contenta, aliunde fuisse descripta, & Casarianis inserta : ut postremo Dialogorum illorum Editores ad marginem notant .

Nec sine ingenti hallucinatione, ab iisdem producitur Ammonius Alexandrinus; quasi linguas ignitas super Apostolorum capita sedisse scripserit, in Commentariis in Acta Apostolorum . Nihil quippe Ammonius in Acta commentatus est; sed Harmoniam dumtaxat scripsit in Evangelia, quam nonnulli Tatiano officinarum tribuerunt; & librum de consonantia Moysi & Jesu, & Evangelicorum Canonem . Ubi nihil huiusmodi legere est .

Prodiit ut summe posset Rufinus Presbyter Aquilejensis, in Symboli expositione, disertissime scribens, per admodum Alexandrinus; quasi linguas quosque Apostolos, ignitas linguas sedisse . At quis, quaeque, Rufinum Ecclesiae Patribus adscribat, quem Augustinus & Hieronymus nutantis & Iubrica fidei virum tandem agnoverunt, & ab Ecclesiae Romanae communionem, ab Anastasio summo Pontifice segregatum? Frustra ergo a Lorino & Sylveira iactantur Patres .

X. Superest, ut de effectibus a Spiritu S. productis differamus, maxime vero de dono linguarum Apostolis tunc, ceterisque Fidelibus concessio . At qua novam Argumentum istud industriam desiderat, ac laborem, idcirco in alteram Relectionem mittimus, accuratius pertractandum .

## EXERCITATIO LXIV.

De effectibus a Spiritu S. productis : maxime de dono Linguarum .

I. NOVUM, illudque magni moliminis opus aggrediar, si de universis effectibus a Spiritu S. in Apostolos die sacro Pentecostes effuso productis, velim in praesentia disputare . Longa enim, ac propemodum infinita concertatio mihi esset instituenda, de gratia sanctificante, de donis Spiritus S., de fructibus, de gratis gratis datis; quae cum ad alias Theologiae partes intimius spectent, de his quoque alia occasione cumulatissime disputavi . Ne tamen officio omnino desim, universos effectus compendio percensebo, ut levem saltem illorum informationem habeat studiosa Juventus : ac tum de illo specialiter disputabo, qui, cum praeter ceteris conspicuus esset, & ad id usque temporis inauditus, Judaeos, atque Gentiles in patrii prodigii admirationem praesertim adduxit .

II. Ilaplus itaque Spiritus S. in Discipulos effusi effectus quadruplicis generis extitere . Primus fuit gratia sanctificans, non prima illa quidem, quae spiritalis regenerationis est, sed secunda, quae roboris, perfectionis, atque consummationis a Patribus dicitur; quamque Christus ipse virtutis, seu fortitudinis gratiam dixerat, ad publicam sui nominis confessionem, Lucæ ultimo : *Ego mittam promissum Patris mei in vos, vos autem sedete in Civitate, quoad usque induamini virtute ex alto* . Et Actuum Apostolicorum 1. *Accipietis virtutem Spiritus S. in vos, & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Iudaea, & Samaria, & usque ad ultimum terrae* .

Alter effectus est gratia septiformis, seu dona septem, quae vulgo Spiritus Sancti dicuntur; ab Isaia Cap. 11. recensita : *Donum scilicet Sapientiae, donum Intellectus, donum Consilii, donum Fortitudinis, donum Scientiae, donum Pietatis, donum Timoris Domini* . Sunt autem dona haec generatim accepta habitus supernaturales, quibus homo iustus disponitur, ut prompse, facilliter sequatur instinctum Spiritus S. ex D. Thoma 1. 2.

Servey Tom. III.

quæst. 68. art. 1. *Donum quidem Sapientiae, ad iudicandum de rebus Divinis, quibus debeat adhibere . Donum Intellectus, ad rectam de ultimo fine estimationem habendam . Donum Consilii, ad recte deliberandum in difficillimis, & praesertim inopinatis . Donum Fortitudinis, ad consequendum suam operis ardui propter Deum suscepi, & superanda quaecumque mala ex adverso imminuerent . Donum Scientiae, ad discernenda credenda a non credendis, recteque iudicandum de rebus humanis, quatenus ducunt ad Deum . Donum Pietatis, ad exhibendum cultum Deo debitum . Donum Timoris, ad Deum reverendum, timendumque, timore utique, non servili, sed filiali* .

Tertius Spiritus S. in Discipulos illabentis effectus ex donis ipsis promanans est fructus duodecimarius, ab Apostolo notatus Cap. 6. Epistolae ad Galatas : *Fructus autem Spiritus est Charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Benignitas, Bonitas, Longanimitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, Continentia, Castitas* . Sunt autem huiusmodi fructus spiritalis hominis operationes, ex altiori Spiritus S. virtute, tanquam ex femine prodeuntis cum perfectione, & suavitate . S. Thom. 1. 2. quæst. 70. art. 1. *Quare alio titulo Fides, exempli gratia, Charitas, Continentia, Castitas virtutum albo censentur; alio fructuum . Virtutum enim titulo gaudent, ut sunt habitus perfectientes in ordine ad objecta sua : fructuum vero Spiritus S. titulo participantur, ut perfectionem, suavitatemque referunt, ex Spiritu S. tanquam interno femine prodeuntem : iuxta illud 1. Joan. 3. *Omnia, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet* .*

Quartus effectus effusi in Apostolos Spiritus S. gratia est gratis data, ejus novem species recenset Apostolus in Epistolae 1. ad Cor. Cap. 12. *Aliter per Spiritum datur sermo Sapientiae : alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum : alii fides in eodem Spiritu : alii gratia sanctorum in uno Spiritu : alii operatio virtutum : alii prophetia : alii discernio spirituum : alii genera linguarum : alii interpretatio sermonum* . Quo nomine gratia gratis data, non eam intelligunt Theologi, quae sine meritis data est : sic enim gratia nulla non est gratis data; sed eam, quae ad suscipiendis profectum minime datur, sed ut ejus ope ad alterius salutem, & conversionem cooperetur; non quidem interius movendo, quod solius Dei est, sed exterius docendo, persuadendo, convincendo . Qua ratione fit, ut novem ab Apostolo gratiae gratis datae numerentur : cum totidem, ad alterum de Fide, ac Religione Christiana edocendum, in Magistro, atque Doctore sint necessariae . Tres quidem, ut Magister ipse probe norit, quae sint alii tradenda : Sapientia nimirum, Scientia, & Fides . Duæ, ut quae docenda venire; apte & opportune proponere possit : nempe Genera Linguarum ad opportunitatem idiomatis, & Interpretatio Sermonum ad planum sententiarum sensum aperiendum . Quatuor demum, ut quae tradit, ac docet, prodigiis, atque potentis confirmare valeat : Nimirum Gratia sanctorum, qua salutem corporibus impertit; Operatio virtutum, qua Divinam in elementa, aliaque id genus potestatem exercet; Prophetia, qua futura praenunciat soli Deo nota; Discretio spirituum, qua secreta cordium uni Deo perfecta scrutatur, ac detegit . Sic enim maxime probat, se Dei nomine loqui, qui ea praestat, quae solus in illo Deus praestare potest .

III. Ceterum in eo gratiarum gratis datarum ordine, quibus cumulatissime donati sunt Christi discipuli, in ea prodigiali divini Spiritus effusione, prima omnium illis in usum venit Linguarum

G g



rum gratia; cuius illico publicum Jerofolymis de-  
derunt experimentum, scribente Luca Cap. 2.  
Actuum Apostolicorum, *Repleti sunt omnes Spiritu S. & ceperunt loqui variis linguis, prout Spiritus S. dabat eloqui illis.* Quae res in causa est, cur graves de ea difficultates oborta sint, quas modo expeditur necesse est. 1. An singuli Apostoli linguis omnibus loquerentur? 2. Quomodo id factum sit? An quod propria dumtaxat loquentes lingua, nempe Syrohebraea, a variarum nationum populis, tanquam illorum lingua loquentes intelligerentur? An autem, quod exteris, ac peregrinis linguis callerent ipsi, eademque revera loquerentur? 3. Num singulare Apostolorum privilegium illud fuerit, an ceterorum quoque Fidelium, in quos Spiritus S. die sacro Pentecostes effusus est?

IV. Principio itaque, ut viam agitandis hinc quaestionibus faciam, singularis S. Joannis Chryso-stomi sententia fuit, Oratione 40. totum quidem Coetum Apostolicum gentium omnium linguas calluisse, non tamen de coetu singulos, sed alios alias, prout erant variis in Regionibus Evangelium nunciaturi: imo hoc ipsum fuisse divinae voluntatis indicium, ut in eas regiones pergerent singuli, quarum linguae intelligentiam divino munere fuerant affecti.

Difficultatem ea in re non mediocriter auget, quod plerique Apostoli, ac inter illos celeberrimi, ut Petrus, & Paulus in ministerio Apostolico obeundo, Interpretibus uterentur: quibus certe non fuisset illis opus, si linguarum omnium intelligentiam affecti fuissent. Vulgata enim est sententia Patrum, Irenaei, Melitonis, Hieronymi, Clementis Alexandrini, Marcum fuisse interpretem Petri, Titum interpretem Pauli. Quin & addit Clemens Alexandrinus lib. 7. Stromatum, Marco tandem Alexandriae relicto, Glautiam Petro interpretem adfuisse. Paulus etiam II. ad Corinth. Cap. 2. scribit: *Cum venissem Troadem propter Evangelium Christi, & ostium mihi apertum esset in Domino; non habui requiem spiritui meo, eo quod non invenissem Titum fratrem meum, sed valesiacens profectus sum in Macedoniam.* Quae verba sic intelligit D. Hieronymus Epist. 150. ad Hedibiam quaest. 11. ut Apostolo ingentis doloris causa fuerit, quod Tito interprete defuit, Troade pro concione dicere non potuerit: *Quia predicationis sua fistulam, organumque, per quod Christum caneret, non invenerat.* Quocirca observat: *Paulum divinarum sensuum maiestatem digno non potuisse Graeci eloquii explicare sermone.* Notat insuper Sanctissimus Doctor, geminas, quas habemus Divi Petri Epistolas: *Stylo inter se, & Characterem discrepare, structuraque verborum, quod pro rerum necessitate diversis interpretibus, in conscribendis Epistolis usus esset.*

Nihilofectus communis Sanctorum Patrum sententia est, Apostolos singulos omnium nationum linguis fuisse locutos: S. Augustini tract. 93. in Joannem, S. Ambrosii in Psal. 18. S. Cyrilli Alexandrini Catechesi 17. S. Leonis Serm. 1. de Pentecoste, S. Gregorii Magni Homil. 30. in Evangelia. Hinc Paulus ipse II. ad Corinth. 14. *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum lingua loquor: omnium scilicet, qui ex variis Orbis partibus oriundi Corinthi habitabant.* Atque id quidem ministerii Apostolici necessitas postulabat: cum unus quandoque Apostolos ad variarum linguarum populos mitteretur; nec tot addiscendis idiomatibus tempus suppetere, nec facultas adesset.

V. Illud ergo explicare necesse est, qua ratione, quo titulo Petrus, & Paulus, & in habendis concionibus, & in conscribendis Epistolis In-

terpretibus uterentur? Illud enim unum difficultatem patitur aliquam.

In primis itaque dici posset, gratias datur, quale est donum Linguarum, non semper ad instar habitus permanentis obtineri, sed plerumque instar transitoriae motionis, & vialis cuiusdam afflatus, & impetus Spiritus S. Comperitur id est exemplo prophetiae, quae altera est gratia gratis data. Propheticum quippe lumen non semper Prophetis affulget, ut quacumque in occasione quacumque futura praenunciet: sed certis dumtaxat in casibus, dum peculiari quodam afflatu, ac transitoria veluti coruscatione docentur, & illustrantur a Spiritu S. quod in Nathanae Propheta videre fuit lib. II. Regum Cap. 7. & in Elifaeo lib. IV. Cap. 3. Tale in Apostolis fuisse donum Linguarum videri potest, juxta Lucae dictum in Actibus Cap. 2. *Ceperunt loqui variis linguis, prout Spiritus S. dabat eloqui illis: quasi dicat, pro tempore, & loco, quo a Spiritu Sancto peculiariter agebantur: quo tamen afflatu, motuque divino cessante, perinde ac ceteri homines interpretibus indigerent, si peregrinae linguarum homines alloqui vellent. Ac sic certe aliquibus Theologis visum est.*

Quia tamen Apostolos donum Linguarum instar habitus permanentis obtinuisse, communiter existimatur: idcirco objectae difficultati verius respondetur, ac certius: Apostolos, ac in iis maxime Petrum, & Paulum interpretes habuisse Sententiarum, atque Doctrinae, non itidem idiomatis; nisi forte ad elegantiam, atque ornatum. Quae enim Apostoli afflata Spiritu S. plerumque alta, & obscura Mytheria eructabant, illi plano, facilique, atque ad captum simplicium accommodato sermone reddebant. Cum enim impetum Spiritus S., quo debebantur, interdum temperare non possent, altiora, obfusioraque aliquando fundebant oracula, quorum explanatio Interpretibus relinquebatur. Quae quidem explanatio ad aliam gratiam gratis datam pertinebat; nempe ad Interpretationem sermonum, quae non semper, omnique momento cum dono Linguarum conjuncta erat: ut patet ex II. Epist. ad Corinth. Cap. 14. *Volo autem, vos loqui linguis, magis autem prophetare: nam major est, qui prophetat, quam qui loquitur linguis, nisi forte interpretetur... Qui loquitur lingua, oret ut interpretetur.* Quare ad id peculiare interpretes constituebantur: interpretes, inquam, non idiomatis, sed Doctrinae, ac Sententiarum.

Neque vero is est verborum Apostoli sensus II. ad Corinth. Cap. 2. qui prima fronte videtur esse: Paulum scilicet, ingenti dolore fuisse affectum, quod Tito interprete defuit, Troade pro concione dicere non potuerit. Non enim fe ab habenda concione fuisse retardatum ait: sed id unum innuit; requiem spiritui suo non habuisse, quod Titum Corintho revertissem non invenisset, cuius relatione certior fieret de statu illius Ecclesiae: quod sane a praesenti difficultate longe abest, imo nihil cum ea commune habet, quod nostram exerceat diligentiam.

Quod autem ait Hieronymus, *Paulum Divinorum sensuum maiestatem digno non potuisse Graeci eloquii explicare sermone;* non de ignorantia Graeci idiomatis dictum est, sed de ornatu, & elegantia, quibus erat defuiturus: unde & agebat II. Corinth. Cap. 11. v. 6. *Esse imperitus sermone, sed non scientia; in omnibus autem manifestati sumus vobis.* Quam ob causam Patres observant, Epistolam ad Hebraeos, utpote patrio sermone ab Apostolo scriptam, ceteris Graeco idiomate exaratis longe esse ornatorem, elegantioreque.

Nec est quod quis nobis obtrudat, Dei opus fore

fore imperfectum, si linguarum peritia Dei dono accepta, eo ornatu careat, qui naturali facultate, atque industria comparatur. Deus enim prodigialibus huiusmodi donis ea dumtaxat Apostolis largitus est, quae ad Ecclesiae utilitatem sunt simpliciter necessaria, qualia profecto non sunt ornatu, & elegantia sermonis.

VI. Nunc quod ad alterum instituta disputationis Caput attinet, ea Divo Gregorio Nazianzeno sententia stetit, Oratione 44. in eo prodigium illud fuisse positum, quod propria dumtaxat lingua loquentes Apostoli Syrohebraea, a variarum nationum populis intelligerentur. Qua de causa in Actibus Apostolicis Cap. 2. observatum sit, diversarum Nationum populos inclamasse: *Quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus?* Et infra: *Audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei: quasi id audirent illi tantum, non item ipsimet Apostoli loquerentur.*

Equidem si nihil aliud in Actibus Apostolicis adnotatum esset, estimari utcumque posset, ita plane rem accidisse, quod & postremis hinc temporibus, in viris nonnullis Apostolicis, Vincenzio Ferrerio, Ludovico Bertrando, & Francisco Xaverio accidisse fertur, ut patria lingua locuti, a diffonis gentibus intelligerentur. At & hoc alterum in laudatis Actibus legitur: *Ceperunt loqui variis linguis: quod variarum linguarum peritiam Apostolis insulam aperte significat.* Ad haec etiam, Apostolus II. ad Corinth. Cap. 14. *Omnium vestrum lingua loquor.* Et Christus Marci 16. Id futurum spondederat, ut linguis loquerentur novis; quibus nempe antea minime loquebantur. Quapropter quod a variis populis auditi sint Apostoli illorum linguis loquentes, idcirco fuit, quia re ipsa illorum linguis loquebantur.

Et sane, quamquam Deo volente, utroque perinde modo prodigium illud patrari poterit: seu quod sua dumtaxat lingua locuti Apostoli, a diversarum nationum populis intelligerentur: seu quod variarum nationum linguis instructi loquerentur universas; congruentius tamen fuit, posteriori modo rem fieri, quam priori: alias non in Apostolis, sed in Auditoribus miraculum accidisset: non, inquam, in Apostolorum mentibus, ac linguis, sed in auribus auditorum. Nec satis Evangelicae predicationis necessitati fuisset provium. Quomodo enim Apostoli mutuos cum exterarum Nationum populis sermones ferere potuissent, illoque secum loquentes intelligere? Plura etiam fuissent necessaria miracula. Ut enim propriam linguam loquente uno, variis varias suas linguas inaudiant, necesse est, vocem, seu sonum nativae linguae uniuscujusque auditorum, in aere efformari; atque ita ad aures uniuscujusque effari: totaque idcirco sunt patranda miracula, quot adsunt ibi auditores: Deus autem, tamen possit haec omnia; absque necessitate tamen miracula patrare non solet: Gratia enim, non secus ac natura, nihil frustra operatur.

VII. Nolim tamen inficiari, certis in casibus, ubi necessitas postulabat, dum scilicet, ad variarum gentium populos, pro concione dicendum erat; id contingere potuisse, ut una lingua loquerentur Apostoli, ab omnibus intelligerentur. Quamquam enim omnibus linguis instructi essent, multis tamen simul linguis loqui nequibant: nisi forte praeter naturam, ingentique prodigio iis in casibus experti essent Apostoli, quod Diodorus Siculus lib. 5. Cap. ultimo narrat: homines Insulae cuiusdam linguae scilicet instructos esse; ac una quidem lingua parte, idiomate uno, altera altero simul loqui, ut lubet, libetve. At in Diodoro Siculo fidem desidero: nec id ipsum Apo-

Serry Tom. III.

stolis iis in casibus suffecisset. Equis etiam id Apostolis primitias spiritus habentibus negatum putet, ubi necessitas postulabat, quod postremis hinc temporibus viris aliquibus Apostolicis datum est? Hinc Venerabilis Beda ad ea Actuum verba, *Audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus,* addit: *Aut quia linguis omnibus loquebantur, aut quia sua lingua loquentes ab omnibus intelligebantur.*

VIII. De cetero, non solos Apostolos, sed & reliquos omnes, in Coenaculo sedentes, in quos Spiritus S. effusus est, eo perinde linguarum dono fuisse cumulatos, aequo liquet. 1. quia de omnibus in Coenaculo positis communiter scriptum est, Act. 2. *Repleti sunt omnes Spiritu S. & ceperunt loqui variis linguis.* 2. quia aliis in occasionibus, ubi per manus Apostolorum conferebatur Spiritus S., fideles etiam privati, & ad ministerium Apostolicum minime destinati, qui & ipsi Gentiles ad Christum conversi, eo linguarum dono cumulabantur, ut legitur Actor. Cap. 10. *Obstupuerunt ex Circumcisione Fideles, qui venerant cum Petro, quia & in Nationem gratia Spiritus S. effusa est: audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum.* Quocirca D. Augustinus Serm. 186. de tempore Cap. 2. *Omnes qui aderant (in Coenaculo) unam linguam didicerant. Venit Spiritus S., impleti sunt, ceperunt loqui linguis variis omnium gentium, quas non noverant, nos didicerant. Sed docebat ille, qui venerat, intravit, impleti sunt, sulit. Et tunc hoc erat signum, quicunque accipiebat Spiritum Sanctum, subito impletus Spiritu linguis omnium loquebatur, non illi solum centum viginti. Docent nos Littera ipsa, postea crediderunt homines, baptizati sunt, ceperunt Spiritum Sanctum, linguis omnium gentium locuti sunt.*

Cur itaque, inquis fortasse mihi, Judaei in tanti prodigii admirationem adducti fuerant? Nonne omnes isti, qui loquuntur Galilaei sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram illos loquentes? Soli igitur Apostoli variis linguis loquebantur: nam eo Galilaeorum nomine designantur. Responso in promptu est: Ita Iudeos admirabundos fuerant: quia quamquam fideles omnes Coenaculo conclusi, & Spiritu S. perfusi, linguarum donum accepissent; soli tamen Apostoli primo illo impetu foras erumpentes, accepti doni experimentum dedere; utpote verbi dices, susceperatque gratiae praecoas a Christo Domino constituti. De reliquo tamen alios perinde variis linguis fuisse locutos, quae protulimus testimonia, plus satis evincunt.

IX. Salutaribus illis Spiritus Sancti effectibus, de quibus diximus hactenus, lucuosos alios ac funestos adjicit Agridentis Abbatissa; sacris quidem litteris tacitis, ignotisque Patribus, sed per visiones sibi, ut ipsa loquitur, divinitus patefactos. Equos illos? Audi. *Quotquot, inquit illa S. de Christo in Coelos assumpto, Christo insensu fuerant, audio tonitruum strepitum, varias pro meritum diversitate penas tulere. Quotquot in ejus mortem consenserant, in terram prolapsi, ad tres horas semimortui jacuerunt. Qui flagellis ceciderant, effuso extra venas sanguine praefocati sunt. Qui aliam impugnat, momento extinctus, in infernum compe & animo deductus est. Ceteri Judaei superstites internis doloribus agitati, morbos execrandos contraxerunt, qui manarunt in posteros, odiumque illis omnium concitarunt.* Quasi vero, non ad solatium dumtaxat filiorum, spiritum suum miserit Christus, sed ad vindictam etiam & interitum inimicorum: qui contra, Apostolos suos ignem de Coelo, ad Samaritanorum vindictam, devocare cupientes, increpavit dicens, *ne scitis cuius spiritus estis?*

G g 2



estis : filius hominis non venit animas perdere, sed salvare? Lucae Cap. 9. v. 55. Aut forte, si fas est cogitare, ille ipse, quem Pater non misit in mundum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum; suum tamen Spiritum miserit, ut sua in mundum iudicia exerceret, poenaeque de peccatoribus fumeret? Quisque de cruce pendens clamavit ad Patrem, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt; (Lucae 23. v. 34.) non dimiserit ipse, sed misso Spiritu suo, severius animadvertit?

Sed & factu palam aperteque repugnat fomniaria narratio. Pilatus enim, Anna, & Caiphas, qui in Christi mortem non modo consenserant, sed auctores illius praecipui fuerant, quamquam adversa subinde fortuna iactati fuerint, sospites tamen ac bene valentes; ad multos annos vivere superstites: Uti apud Iosephum legere est, lib. 18. Antiquitatum Cap. 3. 5. & 6. & lib. 20. Cap. 8. Imo nullam patri prodigii, Divini scilicet Spiritus & Caelo delapsi, notitiam habuere Iudaei, nisi ex patefacto linguarum dono, habitaque tunc ad illos Petri concione: (Actuum Cap. 2.) quod aliunde profecto novissent, si quoque damno experti fuissent, si quod narrat fabula, verum esset. Addiderim, Petram concionem tunc ad Iudaeos habentem, Jesum Nazarenum, Virum Deo probatum, & inique morte damnatum ostendere, prodigiis & signis, quae fecerat Deus per illum in medio ipsorum: quod certe luculentius multo, ac velut ad hominem ostendisset, prodigiali illa iniquorum Iudicum & Carnificum caede, quam praesentem oculis usurpassent, atque sensissent. Ad populum itaque rudemque plebeculam phaleras illas, ac nugas. Qui sacras Litteras colunt, Divinum Spiritum consolatorem venisse norunt, non ultorem ac vindicem: Christumque Caelo receptum, dona dedisse hominibus sciunt, non supplicia sumpsisse.

## EXERCITATIO LXV.

De Christi virtutum, ac prodigiorum Narratione, a Pilato ad Tiberium Caesarem missa; deque eiusdem Apotheosis apud Senatum Romanum tentata.

I. Vix dum Christus Caelo redditus erat, ejusque Divinus Spiritus in Discipulos effusus, cum virtutum ejus, ac prodigiorum fama longe lateque diffusa Romam quoque ipsam occupavit. Pilatus Judaeae Praefes res; quae illic contigissent magni momenti, ad Caesarem scribere solitus, patratorem a Christo prodigiorum, Divinarum virtutum, excitationis ipsius a mortuis, novaeque ab eo conditae Religionis narrationem ad Tiberium misit. Is, perceptis Actis, reque quantum licuit, intellecta, retulit ad Senatum, ut & Christus inter Deos, quos Roma coleret, referretur. Renuit Senatus Augustus. Caesar tamen perstitit in sententia; Christianosque ob eam, quam de Christo conceperat opinionem, singulari benevolentia fovit.

Totum id tamen variis difficultatibus obstrutum est: & a nonnullis quidem ex parte, ab aliis ex integro vocatur in controversiam. Quare, ut sua dictis veritas constet, tria nobis quaerenda sunt: 1. Constat ne prorsus, Pilatum de rebus a Christo praclare gestis Tiberium Caesarem monuisse: Caesaremque Christi apotheosim tentasse apud Senatum Romanum? 2. Qua causa, ut renueret, Senatum impulserit? 3. Quid de Epistolis, quae vulgo circumferuntur, a Pilato ea in occasione ad Caesarem datis, sentiendum

veniat? Quibus ad liquidum perductis, plana, expeditaque res erit.

II. Primum, illudque potissimum usque adeo, meo quidem iudicio, certum est, ut citra summam audaciam in dubium verti nequeat: utpote testium omni exceptione majorum suffragio communitum.

Tertullianus in Apologetico adversus Gentes Cap. 5. Apud vos, inquit, de humano arbitratu Divinitas pensatur. Nisi homini Deus placuerit, Deus non erit. Homo jam Deo propitius esse debet. Tiberius ergo, cujus tempore nomen Christianum in seculum introivit, annunciatum sibi ex Syria Palaestina, quae illic veritatem ipsius Divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum praerogativa suffragii sui. Senatus, quia non ipse probaverat, respuit. Caesar in sententia mansit, comminatus periculum accusatoribus Christianorum. Et Cap. 21. praemissa brevi prodigialium Christi gestorum analysi, ita subdit. Ea omnia super Christo Pilatus & ipse jam pro sua conscientia Christianus, Caesari tunc Tiberio nunciavit: sed & Caesares credidissent super Christo, si, aut Caesares non essent saeculo necessarii, aut si & Christiani potuissent esse Caesares.

S. Justinus Martyr in Apologia II. ad Antoninum Imperatorem, in haec ipsa Acta a Pilato ad Tiberium missa digitum intendit, dum, nonnullis Christi prodigiis enarratis, subiungit: Haec ita gesta esse, cognoscere ex Actis, quae sub Pilato sunt scripta, potestis. Tum aliis interjectis: Et quod ista fecerit Christus, ex eis, quae sub Pilato conscripta sunt commentariis, cognoscere potestis.

S. Lucianus in Deciana persecutione Nicomediae Martyr, ad eadem illa Pilati Acta videtur Praesidem provocasse, dum diceret: Consulite Annales vestros, & invenietis Pilati temporibus, dum pateretur Christus, media die fugatum Solem, & interruptum diem. Verisimile quippe est, Pilatum inter tam multa, de quibus ad Caesarem scripsit, portenta, atque prodigia, mirabilem illam Solis obscuracionem, quae Christo patiente contigerat, minime siluisse. Alias observari Romae nequivisset, cum portenta, Christo moriente, parata non ultra Judaeam, uti loco suo docuimus, patuissent. Longe minus, tacente Pilato, sciri Romae potuissent, eam obscuracionem, qua Christus hora de cruce penderat, Ierolymis accidisse.

Eusebius Caesariensis lib. 2. Hist. Eccles. Cap. 2. Rem totam sat fuse profequitur. Cum per omnem jam locum, de Resurrectione, & mirabilibus Domini Jesu Christi, & de Ascensione ejus ad Caelum felix fama loqueretur; ac per omnium aures beati hujus rumoris volveretur opinio: quoniam antiqui moris erat apud Romanos, ut Provinciarum Iudices, si quid forte novi in his, quas regerant, Provinciis accidisset, vel Principi, vel Senatui nuntiarent; ut ne ex his, quae gerebantur, ignorare aliquid viderentur: de Resurrectione a mortuis Domini, & Salvatoris nostri Jesu Christi, quae jam in omnem locum fuerat promulgata, Pilatus Tiberio Principi refert. Sed & de ceteris mirabilibus ejus; & ut post mortem, cum resurrexisset, a quamplurimis jam Deus esse crederetur. Tiberius, quae compererat, retulit ad Senatum. Senatus autem sprevisse dicitur, pro eo quod non sibi prius hujus rei iudicium fuerit delatum, sed auctoritatem suam praevenerit vulgi sententia; lex etenim erat antiquitus designata, ne quis apud Romanos Deus haberetur, nisi Senatus decreto, atque scientia confirmatus. Porro autem pro vero hoc erat, quod gerebatur, ne Divina virtus humanis pararetur assertionibus indigere. Cum secundum ea, quae supra diximus, venisset Senatus; Tiberius tamen tenuit sententiam suam,

ut ne quid adversus doctrinam Christi contrarium moliretur.

S. Joannes Chryostomus hujus perinde fidem facit Homilia 26. in Epistolam 2. ad Corinthios. Romanorum Senatus hanc potestatem habebat, ut Deos crearet, atque conscriberet. Quippe, cum res omnes a Christo gestae nunciatae sunt, Romanus misit is, qui Iudeorum nationi praerat, sciscitans ex ipsis, num cum quoque Deum creare placeret. Id vero illi facere recusarunt, quod iniquum, atque insensu animo ferrent, ante decretam suam, atque sententiam, Crucifixi potentiam affulgentem, universum Orbem ad sui cultum, & venerationem attraxisset.

Hegeppus, non ille quidem, qui Aniceti, & Eleutherii Romanorum Pontificum temporibus floruit; sed alter junior, qui cadente saeculo quarto, post Constantini tempora vixit, in Anacephalaei librorum suorum, de excidio Urbis Ierolymorum: Quamvis Pilatus, inquit, manus laevae dicens: mundus ego sum a sanguine justitiae reus, qui gloriam Dominicae Resurrectionis agnoscens, predicare invidiosus fudit; sed credere perfidus contempsit, sicut restatur ejusdem Epistola Caesari in hunc modum directa: &c. Tum Epistolam subjicit, de qua nobis paulo post sermo erit.

Paulus Orosius lib. 7. Hist. Cap. 4. Postquam passus est Dominus Christus, atque a mortuis resurrexit, & Discipulos suos ad praedicandum misit, Pilatus Praefes Palaestinae Provinciae ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de Passione, & Resurrectione Christi, consequentibus virtutibus, quae, vel per ipsum palam factae fuerant, vel per Discipulos ipsius in nomine ejus fiebant; & de eo, quod certatum, crescente plurimum fide, Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi prius fecundum morem delatum esset, ut de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusavit, edictoquo constituit, exterminandos esse urbe Christianos; praecipue cum & Sejanus Praefectus Tiberi suscipiende Religionis contradiceret. Tiberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem comminatus est.

S. Gregorius Turonensis lib. 1. Hist. Cap. 24. factum paucis enarrat: Pilatus Christi gesta ad Tiberium Caesarem misit; & ei tam de virtutibus Christi, quam de Passione, & Resurrectione ejus insinuat. Quae gesta hodie apud nos retinentur scripta. Tiberius autem hoc ad Senatum recensuit: quod Senatus cum ira respuit pro eo, quod non ad eum primitus advenisset. Rem postea pergratam fecisset Gregorius, si quae gesta apud se scripta retinere dixit, publicasset: cujus illa coloris sint probaremus.

Extremum factu, quod hic unice quaerimus, sigillum ponit Nicophorus Callixtus lib. 2. Hist. Cap. 8. Consuetudo jam inde a plurimis annis obtinuerat, ut qui Praefecturas, ac Provincias forensi essent, res novas, quae sub eis accidissent; singulas summum imperium habenti Caesari significarent, ut illum nihil profusus rerum lateret. Itaque de Resurrectione ex mortuis, atque prodigiis Jesu Christi Tiberio Caesari scribens Pilatus, cum res ejus plerisque, tum quod ex mortuis rediret, sibi quoque ipsi superstes, Deus jam a multis, & quidem praecipuus esse crederetur, renunciavit. Quam rem Tiberius ad Senatum retulit. Senatus autem non esse deliberandum de ea censuit, sub illo quidem praetextu, quod ille non prius veteri more, ipsius Senatus sententia in Deos esset relatus: ve autem ipsa, quod Divina doctrina disciplina humano profusus non indigeret auxilio. Sed enim etiam si Senatus ad eum modum verbum de Servatore rejecisset, Caesare tamen in senten-

tia sua perstitit, salutarique praedicationi impedimento non fuit.

III. Sic sane summi viri per omnem aetatem, a secundo Christiani nominis saeculo, ad decimum tertium summo consensu tradiderunt. Iis porro refragari, ac repugnare velle, annon summae temeritatis est, atque audaciae? Repugnat tamen, ac refragatur hac ipsa aetate nostra Tanaquillus Faber, in Protestantium Schola Professor Salmuriensis: Tertullianum ex Actis Pilati apocryphis fabellam hausisse dicitans; quam caeteri deinceps ex ejus fide descriperint imprudenter, transmisserrintque ad posterum. Scilicet, non advertit imprudens ipse, Acta Pilati de Christi virtutibus ad Tiberium missa, ad quae deinceps Tertullianus, S. Justinus, & S. Lucianus, ambo Martyres, Romanos caeterosque Ethnicos provocabant, ab iis longe diversa esse, quae a Maximino Tyranno Christianis infensissimo conficta esse, narrat Eusebius lib. 9. Hist. Eccles. Cap. 4. plena impietatis, atque blasphemiae. Ab iis quoque longe esse distincta, quibus, ut auctor est D. Epiphanius Haeresi 50. Quartaedecim haretici infingit abutebantur: nec ad ea summos, quos retulimus, viros digitum intendisse: sed ad illa potius, quae, curante Pilato, a publicis Notariis excepta, Romanique transmissa, in publicis Archivis summa cura, & integra fide servabantur. Unde & ad illorum Annales, ad illorum Commentarios, atque Archiva Tertullianus; Justinus, Lucianus libere provocabant. Quis autem puter, illos & fama suae, & Christiani nominis gloriae tam male consuluisse, ut ad spuria instrumenta, quae in Romanorum manibus essent, tam fidenter, tam libere provocarent; quorum falsitatem Romani ipsi tam facile retexissent, nec sine Christiani nominis derisione, atque ludibrio suggillasset?

Sed nec ab omni veri specie abhorret, uti Tanaquillus obtendit, Tiberium Christo, ejusque Religionis minime addictum, de illo adeo curasse, ut de ejus Apotheosi retulerit ad Senatum. Quidni enim id eum tentasse virisimillimum sit; Christi quidem, quae didicerat, operum admirabilitate permotum? Certe nec Christo, nec ejus Religionis addictus erat Adrianus Imperator: & is tamen, ut auctor est Aelius Lampridius Ethnicus ipse in ejus vita: Templum sine Simulacris jussit fieri: quae illo ad hoc parasse dicebatur, ut Christo Jesu consecraret, nisi Sacrorum consultores deteruissent: veriti nempe ne, si id egisset Adrianus, ad Christi partes relicto idolorum cultu, universi transfirent. Nihil magis Christo, ejusque Religionis addictus erat Alexander Severus: & hunc tamen Christo templum sacere, eumque inter Deos recipere voluisse, idem Lampridius memorat, tamen nefarius consilii circumventus executioni non dedit. Quid ergo, simile quidpiam tentasse Tiberium, a veri specie prorsus abhorreat?

Abhorret multo minus a vero, (qui alter Tanaquilli cavillus est) Senatum Romanum respuisse, quod placuisset Tiberio. Ea quippe Tiberius erat animi moderatione, ut sibi, fuisse consilii Senatuum repugnare, ubi iusta subesset ratio, moleste non ferret. Quaedam, inquit Svetonius, adversus sententiam suam decerni, ne quaestus quidem est. Imo, cum vocem minus idoneam, seu forte barbaram inter scribendum usurpasset aliquando, quam idcirco honoris gratia usu imposterum recipendam, ac jure Latii donandam aliqui dicerent: Marcum Pomponium Marcellum, mortuum verborum exactorem aequo animo tulit, libere pronunciantem: Tu Caesar, Civitatem dare potes hominibus, verbis non potes: ut scribit Dio Cassius Lib. 57. Et mirabimur, Senatum Romanum opta-



tam a Cæsare Christi Domini Apotheosim rejecit, idque tulisse Tiberium.

IV. Mirabimur longe minus, si quæ Senatum Romanum, ut repugnaret, rationes impulerint, perpendamus. Quod caput est susceptæ disputationis alterum.

Prima a Patribus paulo ante laudatis diligenter observata, ista fuit: quod antea Christo Domino Divini honores delati fuissent, quam integra ad Senatum delata res esset. Quare præreptam sibi Sacrorum honorum decernendorum auctoritatem cum ferret ægerrime, Apotheosim a Tiberio licet operatam decernere noluit. Altera, quod, nisi cæteris Gentium Diis sua sede pulsus, Jesu solemniter Apotheosi consecrari non posset: quippe qui solus coli vellet: neminemque Divinorum honorum consortem pateretur. Tertia, quod Christum cernerent, paupertatis, humilitatis, patientiæ assererent: quibus omnibus nil magis Romano Imperio, quod armis stabat & opibus, contrarium videbatur. Quarta, quod externa Sacra recipi vellet non ita pridem Senatus Augustus, ut est apud Titum Livium lib. 39. Quinta, quod infamum supplicio Christus fuisset affectus, Judæis quidem popularibus suis instantibus, atque urgentibus; at viro Romano Sententiam pronunciantem. Quibus tamen omnibus, ut ad negandam Christo Domino Apotheosim rationibus moverentur, Divini iudicii sapientia fecit: ne Christus falsorum Numinum instar, Divinitatem ab hominibus precario videretur accipere: neve Christiana Religio toto Orbe prope diem diffundenda, Senatus Romani iudicio, atque præsidio tuta, ejusdemque auctoritate propagata censeretur.

V. Restat ut de Epistolis videamus, quæ a Pilato ad Tiberium tunc temporis data referuntur: quas spurias, ac pro arbitrio a quibusdam nebulonibus fictas nullus dubitat. Harum tria producuntur exempla, quorum falsitas, suppositio, notheia in ipsos incurrit oculos. Primum, illudque perverbum, Claudio inscriptum exhibet Hegeppus in Anacephalæosi librorum suorum, de Excidio Jerosolymorum, quarto cadente Christiani nominis sæculo: ex quo illud transcripsit Baronius in Annalibus ad annum Christi 34. Alteram in eundem omnino sensum, elegantioribus tamen verbis Claudio Tiberio Nonni Imperatori inscriptum refert Sixtus Senensis, lib. 2. Bibliothecæ Sanctæ; in vetustis, ut præmonet, Bibliotheca Vaticana monumentis repertum. Tertium in lucem edidit Florentinus in Notis, & Exercitationibus ad Apostolorum indiculum: quod a Notatore quodam, ut ait, in antiqua pagina cum aliis memorata dignis circa annum 1488. scriptum invenit, a superioribus exemplis, & verbis, & sensu longe diversum. Quod, quia a viris hodie eruditissimis melioris aliquanto notæ iudicatur, integrum subicere non pigebit. Est igitur hujusmodi apud Florentinum loco laudato pag. 113.

Pilatus Tiberio Cæsari Salutem. De Jesu Christo, quem tibi plane postremis meis declaraveram, nutu tandem populi acerbum, me quasi invito, & subtrahente, supplicium sumptum est. Virum hercle ita pium, ac sincerum nulla unquam ætas habuit, nec habitura est. Sed mirus existit populi conatus, omniumque Scribarum, & Seniorum populi consensus, suis Prophetis, & more nostro Sybillis præmonentibus, hunc veritatis Legatum crucifigere: signis etiam super naturam apparentibus dum penderet, & Orbi universo Philosophorum iudicio lapsum minantibus. Vigent illius Discipuli opere, & vitæ continentia Magistrum non mentientes, imo in ejus nomine beneficentissimi. Nisi ego seditionem populi prope extuantem permississem, fortasse adhuc nobis ille vir viveret. Etsi tua magis dignitatis fide compulsus,

quam voluntate mea adductus, pro viribus non resistam. Sanguinem justum totius accusationis immunem, verum hominum malignitate inique in eorum famem (ut Scriptura interpretatur) exitium pati, & verescundari. Vale. Quarto nonas Aprilis.

VI. In singulis tamen Epistolarum exemplis, seu Hegeppi, seu Sixti, seu demum Florentini, aperta sunt falsitatis, & suppositionis indicia. Vel enim iis ipsis Epistolis constant Acta integra, a Pilato ad Tiberium Cæsarem missa, ad quæ Justinus, Tertullianus, Lucianus Ethnicos provocabant: aut certe transmissis fustioribus Actis comites Epistolæ datae sunt. Primum illud tam falsum est, quam quod maxime: cum nonnulla iis Actis contenta notent laudati Patres, de quibus nihil extat citatis Epistolis. Alterum non est verisimile: cum submissa simul Acta nequaquam appellent Epistolæ illæ; sed pauca Christi prodigia compendio notent; nulloque interim verbo significant, fuisse illa, atque prolixius adjunctis Actis contineri: quod Pilatum facere congruebat, si prolixiorum Actorum conjunctas Epistolas dedisset Imperatori.

Quid etiam, quod ejusdem sensus, ejusdemque sententiæ ab Hegeppo, & Sixto Senensi producuntur Epistolæ, verbis duntaxat inter sese, ac loquendi formulis discrepantes: ut qui eas legerit, binas ejusdem Autographi, Græci forte, aut, si mavis, Hebræi interpretationes latinas putet? Pilatus porro, si quas tunc Tiberio una cum submissis Actis dedit Epistolas, latinas profecto dedit; ut binas illarum versiones latinas facere, necesse non esset. Nisi forte quis dicat: Hegeppum græce scribentem, Pilati qualescumque Epistolas græce reddidisse; unde variæ deinceps interpretationes latine prodiderint, verbis duntaxat, loquendique formulis aliquanto diversæ. At nec id quidem constat: Hegeppum Judæam genere græce scripsisse: cujus potius operum nullum græcum extat exemplar. Quod Renarus Laurentius Barrensis, in Prænotatione ad libros de Excidio Jerosolymitano, sapienter admonet: qui potius latinam originem redolent.

VII. Insuper priora exempla duo, ab illius ætatis stilo non parum abhorrent: maxime vero primum ab Hegeppo publicatum. Nonnulla præterea continent ambo, quæ Pilatum virum Romanum, ac Cæsaris administrum litteris ad ipsum datis significasse, non est verisimile: ut quod Jesus Judæorum Rex jure, ac merito diceretur: cum alium Judæis Regem constituisset Tiberius. Unumquodque etiam illorum complectitur aliquid, aut aperte falsum, aut Pilato minus congruens. Falsa, inquam, est prioris Epigraphæ: Pontius Pilatus Claudio salutem. Quamquam enim ex Claudia stirpe natus Tiberius, Claudius quoque sit dictus; nupsiam tamen ita simpliciter est appellatus: sed Tiberius Claudius Nero: unde & vulgatum scemna a Svetonio fertur, ut pro Tiberius Biberius, pro Claudio Claudius, pro Nerone Mero ab æmulis diceretur. Pilato quoque minus congruit periculis illa posterioris Exempli: Hoc expectabant Judæi, ut Deus illorum, per Virginem juvenulam mitteret, qui jure Rex eorum diceretur: hunc me præsentem misit in Judæam. Unde enim rescire Pilatus potuit, Jesum ex Virgine Matre in lucem fuisse editum? Non utique a Judæis a Christo averis; qui eum uti Mariæ, ita & Josephi habebat filium. Sed nec a Judæis sectatoribus Christi: quorum perpauca illibata illius conceptionis Mysterium noverant; qui vero noverant; necdum ante illapsam Spiritus Sancti, & publicam Evangelii prædicationem propalandum agnoscebant.

VIII. Postremum tandem, quod descriptum est Epistolæ exemplar, tamen nota aliquanto melioris Eruditissimis hodie videatur, multis tamen capitibus peccat, quæ fraudem prodant patentissimam. Ipso enim statim initio significat Pilatus, se de Christo, antequam morti addiceretur, priores ad Tiberium Epistolas destinasse. De Christo Jesu, inquit, quem tibi plane postremis meis declaraveram, nutu tandem populi, acerbum, me quasi invito, & subtrahente, supplicium sumptum est. Virum hercle ita pium, ac sincerum nulla unquam ætas habuit, nec habitura est. Quod scripsisse Pilatum, nemo sibi facile in animum inducet. Si enim talem Jesum Tiberio datis antea litteris declarasset, incredibile omnino est; eum tam cito, ac ne spectato quidem rescripto, importunis Judæorum querellis, atque clamoribus cessurum fuisset, ut acerbum de illo Judæi supplicium fumerent. Imo qui illum a morte liberare tantopere cupiebat, eo præsertim obtentu expectandi rescripti Cæsari, causam saltem transiret in longum; non hac ipsa die, quæ cepta est, lata suis ingratis sententia finivisset. Addit subinde Pilatus: Judæos veritatis Legatum crucifixisse, signis etiam super naturam apparentibus dum penderet, & Orbi universo Philosophorum iudicio lapsum minantibus. At qui Philosophi Jerosolymis aderant, qui ea de re iudicium ferrent? Attendit haud dubie Epistolæ fabricator ad vulgatum Dionysii verbum, qui Solem, quo tempore penderet Christus, præter naturæ leges obscuratum cernens exclamasse fertur, Aut Deus nature patitur, aut Mundi materia dissolvitur. At id, præterquam a recentioribus duntaxat est traditum, veriturgue in dubium, Athenis tamen a Dionysio dictum fertur, non Jerosolymis: cujus idcirco notitiam Pilatus, dum scriberet, nullam habuit. Subjungit: Vigent illius Discipuli opere, & vitæ continentia Magistrum non mentientes, imo in ejus nomine beneficentissimi. Nempe ad prodigia ab Apostolis in hominum beneficium patrata alludit: qualia tamen nulla ante illapsam Spiritus Sancti sunt facta. Et tamen, si Superis placet, data notatur Epistola quarto Nonas Aprilis, diu antequam in Apostolos Spiritus Sanctus illaberetur. Prosequitur Epistolæ quisquis est Auctor: Nisi ego seditionem populi extuantem permississem, fortasse adhuc nobis ille vir viveret. Certe de Christo extincto, ac nondum a mortuis excitato ista dicuntur: de viro enim ad vitam reduce nemo sic diceret. Secunda tamen Aprilis die, qua data notatur Epistola, ad vitam redierat Christus; si, quod habet communis Ecclesiæ Traditio, die vigesima quinta Martii in Crucem est actus: aut certe nondum secunda Aprilis die extinctus erat, si, quod nonnulli ætatis nostræ Chronologi putant, die duntaxat Aprilis quarta suffixus est. Quocumque ergo res cadat, in vitio deprehenditur Epistolæ fabricator. Nec est, quod quis nobis obrudat, secundam illam Aprilis diem, qua data perscribitur Epistola, sequentis anni esse, non illius, quo passus est Christus: eaque idcirco verba fortassis adhuc nobis ille vir viveret, Christi ad Superos ascensum subindicare. Ecquis enim credat, Pilatum suam illam de rebus a Christo præclare gestis, deque nova ab eo inducta Religione narrationem, in annum alterum distulisse? Cum tanti Cæsaris interesset, ista rescire: ut si quos forte motus exciret nova per Christum inducta Religio, prudentia sua fedaret, atque compesceret. Superest Epistolæ postrema periodus sensu vacua: Sanguinem justum, totius accusationis immunem, verum hominum malignitate inique in eorum famem (ut Scriptura interpretatur) exitium pati, & verescundari. Qui potest capere capiat. Quod tamen, non ipsi Epistolæ fabricatori, sed antiquæ

Epistolæ exemplar, tamen nota aliquanto melioris Eruditissimis hodie videatur, multis tamen capitibus peccat, quæ fraudem prodant patentissimam. Ipso enim statim initio significat Pilatus, se de Christo, antequam morti addiceretur, priores ad Tiberium Epistolas destinasse. De Christo Jesu, inquit, quem tibi plane postremis meis declaraveram, nutu tandem populi, acerbum, me quasi invito, & subtrahente, supplicium sumptum est. Virum hercle ita pium, ac sincerum nulla unquam ætas habuit, nec habitura est. Quod scripsisse Pilatum, nemo sibi facile in animum inducet. Si enim talem Jesum Tiberio datis antea litteris declarasset, incredibile omnino est; eum tam cito, ac ne spectato quidem rescripto, importunis Judæorum querellis, atque clamoribus cessurum fuisset, ut acerbum de illo Judæi supplicium fumerent. Imo qui illum a morte liberare tantopere cupiebat, eo præsertim obtentu expectandi rescripti Cæsari, causam saltem transiret in longum; non hac ipsa die, quæ cepta est, lata suis ingratis sententia finivisset. Addit subinde Pilatus: Judæos veritatis Legatum crucifixisse, signis etiam super naturam apparentibus dum penderet, & Orbi universo Philosophorum iudicio lapsum minantibus. At qui Philosophi Jerosolymis aderant, qui ea de re iudicium ferrent? Attendit haud dubie Epistolæ fabricator ad vulgatum Dionysii verbum, qui Solem, quo tempore penderet Christus, præter naturæ leges obscuratum cernens exclamasse fertur, Aut Deus nature patitur, aut Mundi materia dissolvitur. At id, præterquam a recentioribus duntaxat est traditum, veriturgue in dubium, Athenis tamen a Dionysio dictum fertur, non Jerosolymis: cujus idcirco notitiam Pilatus, dum scriberet, nullam habuit. Subjungit: Vigent illius Discipuli opere, & vitæ continentia Magistrum non mentientes, imo in ejus nomine beneficentissimi. Nempe ad prodigia ab Apostolis in hominum beneficium patrata alludit: qualia tamen nulla ante illapsam Spiritus Sancti sunt facta. Et tamen, si Superis placet, data notatur Epistola quarto Nonas Aprilis, diu antequam in Apostolos Spiritus Sanctus illaberetur. Prosequitur Epistolæ quisquis est Auctor: Nisi ego seditionem populi extuantem permississem, fortasse adhuc nobis ille vir viveret. Certe de Christo extincto, ac nondum a mortuis excitato ista dicuntur: de viro enim ad vitam reduce nemo sic diceret. Secunda tamen Aprilis die, qua data notatur Epistola, ad vitam redierat Christus; si, quod habet communis Ecclesiæ Traditio, die vigesima quinta Martii in Crucem est actus: aut certe nondum secunda Aprilis die extinctus erat, si, quod nonnulli ætatis nostræ Chronologi putant, die duntaxat Aprilis quarta suffixus est. Quocumque ergo res cadat, in vitio deprehenditur Epistolæ fabricator. Nec est, quod quis nobis obrudat, secundam illam Aprilis diem, qua data perscribitur Epistola, sequentis anni esse, non illius, quo passus est Christus: eaque idcirco verba fortassis adhuc nobis ille vir viveret, Christi ad Superos ascensum subindicare. Ecquis enim credat, Pilatum suam illam de rebus a Christo præclare gestis, deque nova ab eo inducta Religione narrationem, in annum alterum distulisse? Cum tanti Cæsaris interesset, ista rescire: ut si quos forte motus exciret nova per Christum inducta Religio, prudentia sua fedaret, atque compesceret. Superest Epistolæ postrema periodus sensu vacua: Sanguinem justum, totius accusationis immunem, verum hominum malignitate inique in eorum famem (ut Scriptura interpretatur) exitium pati, & verescundari. Qui potest capere capiat. Quod tamen, non ipsi Epistolæ fabricatori, sed antiquæ

paginæ a Notatore descriptæ vitio tribuendum existimo.

Rejiciendæ sunt itaque, & ad quæquiliam amandandæ, quæ a Pilato Judææ Præfide ad Tiberium datae feruntur Epistolæ: quamquam eum, submissis ad Cæsarem Actis, & Instrumentis, patratorem a Christo prodigiorum fidem faciendibus, litteras Actorum comites addidisse, verisimillimum sit, quæ vetustate temporis interierint.

## EXERCITATIO LXVI.

De morte Deiparæ Virginis.

I. Explicatis in hanc diem Christi Mysteriis, quibus humanæ salutis opus absolvit, & consummavit: illud unum ad suscepti instituti coronidem nobis superest explicandum, quo Virginem Matrem ad cœlestem gloriam evocavit. Et quidem, nisi velimus hariolari, & rabularum more fabulas ludere, nihil est aliud quod de Virgine explicemus: cum ab illapsu Spiritus Sancti, de quo diximus, cui præsentem adfuisse Jesu Matrem, monet Lucas, Actorum 1. v. 14. nihil ultra gestorum ejus Sacris in Litteris, Patrumque monumentis habeamus.

Hujus, de Deiparæ gestis, alti silentii, a facris Scriptoribus religiose servati rationem somniamvit Agridenis Abbatissa. Suum illud narratam somnium præstat audire. Deus, inquit illa, Virgini Matri per visum ostendit, instare tunc diem scribendorum Evangeliorum; bancque illi curam esse suscipiendam. Eo se liberari onero, infimis precibus petiit pia Mater, & in Petrum, utpote Ecclesiæ caput, transferri rogavit. Preces ratas habuit Deus, totamque promovendi operis curam Petro dedit. Quapropter ille coacto Concilio, in quo oborta de Legalibus controversia definita est, exposuit quanta necessitatis esset, Christi Servatoris vitam atque mysteria scripto mandari. Re ad Concilium relata, Cœlestis audita vox est, quæ viros quatuor ab ipso Petro deligi mandavit, ut in id opus incumbere: cui ille statim obsecutus primo loco Mattheum elegit, secundo Marcum, tertio Lucam, quarto Joannem: quos ita selectos non modo universis probavit cæcis, sed & Deus ipse Cœlesti effusa luce confirmavit. Mattheus omnium primus intra paucos dies, ad scribendum Evangelium, animum adiecit: ad quem in cella sua degentem accessit Angelorum Regina, vetans ne quid ultra de se ipsa scriberet, quam quod ad propalendam Incarnationem, Deique facti hominis mysteria evulganda, absolute necesse foret: Advens ventura demum tempora, (sua hic tempora intelligit Abbatissa) cum de ipsa Deus altiora revelaturus esset. Quo dicto abscessit: ac tunc Mattheus Evangelium scribere adorsus est, quod non tunc quidem absoluit, sed dum subinde in Judæa versaretur. Quarto post anno sum Marcus Evangelium scripsit; cui perinde Virgo Mater, quod antea Mattheo, idem edixit, ne in ipsis gestis enarrandis nullus esset. Ea præsertim, Evangelium in Palestina scribere cepit. Quamquam enim Marcum scripsisse Rome Hieronymus dicat, non idcirco tamen dicto repugnat; sed Marcum idem Evangelium latine scripsisse Rome significat, quod hebraice scripserat in Palestina: propterea quod nullum Evangelium a Mattheo scripti exemplum extaret Rome. Post annos duos suum quoque Evangelium greco idiomate scripsit Lucas. Quia vero sub ipsum statim initium, se illi conspicuam præbuit Virgo Mater, idem quod duobus aliis mandans ac jubens; reposuit ille, fieri omnino non posse, ut incarnati filii Mysteria scripto traderentur, nisi aliqua saltem Matris breviter attingerentur: quam illi licentiam fecit sanctissima Mater. Postremus omnium græce scripsit Joannes anno Domini 58.



58. Virgine Deipara ex hac vita sublata dum is in Asia minori versaretur. Cui se perinde de Caelo descendam obtulit Virgo maxima, monuitque, secretiora Divinitatis arcana de Filio scribere, de Matris tamen gestis tacere omnino; ne mundus ea etate ad idololatriam propensus, Demonis arte deciperetur, matrem scilicet vi Deam adorans. Sic Abbatissa tertia parte Compendii vite Deiparae Virginis.

Nonne scribentis hac hallucinationem meridiana in luce ponunt; palamque omnibus faciunt, non Divino afflante Spiritu Abbatissam scripsisse? Quid etenim illud est, quod sacros Evangeliorum Scriptores monuisse fingitur Virgo Mater, dum adhuc in vivis degeret, ut de se ipsa nihil, aut certe modice scriberent? Itane suo ingenio scripturi erant, ac non illa omnia narraturi, quae divinus illis afflaret Spiritus? Aut forte verendum erat, ne qua minus illorum aetati congruerent, haec illis Divinus dicitur spiritus, ut scriberent imprudenter? Quid illud quoque est, quod a Deipara Virgine additum fingitur: tacendum scilicet olim fuisse de gestis eius, ne mundus ad Idololatriam propensus in errorem induceretur: ventura tamen aliquando tempora (Agriculis scilicet Abbatissa) cum Deus, citra periculum omnino, altiora de ipsa mysteria revelaturus esset? Quasi vero, non diu olim sepulta jacuerit idololatria; aut non satis contra illam munita fuerit Patrum aetas; ut propterea saeculum istud nostrum expectandum esset, quo citra periculum omnino, novis istis revelationibus fruere?

Cetera fabricata narrationis capita, falsitatis, in re historica, aperte convicia, delusam Abbatissam ostendunt, non divinitus inspiratam. Falsum enim est, Virginem Matrem adhuc in humanis fuisse, anno circiter Christi quinquagesimo primo, quo a Apostolorum seniorumque Concilio, pro dirimenda Legalium controversia, Ierosolymis actum est. Falsum, alios praeter Petrum, Paulum, Jacobum, & Barnabam, ex Apostolico ordine, praesentes illic adfuisse. Falsum, scripsisse Matthaeum & Marcum post Concilium Ierosolymitani celebrationem; atque ita ex Petri ceterorumque illis adstantium iussu atque mandato. Falsum, scripsisse Marcum in Palaestina. Falsum, scripsisse illum hebraice primum, ac tum latine Evangelium reddidisse. Falsum, scripsisse Lucam anno post Marcum duntaxat altero. Falsum, scripsisse illum ex Petri delegatione. Falsum, scripsisse Joannem anno Christi, seu nati, seu etiam passi, quinquagesimo octavo. Falsum, scripsisse illum Petro mandante. Uno verbo tot in brevi fascinia errata quot verba. Stulti si Deo afflante scripta dicamus.

Ablegata igitur illa imperati divinis Scriptori- bus silentii ratione; servatum tamen ab iisdem, praevisque Ecclesiae Patribus silentium, de Deiparae gestis post Spiritus Sancti illapsam, pie ut par est ac religiose venerati; nihil nos de iis temere commentabimur. Quia tamen filii sui imitatrix Mater Sanctissima, non nisi obita morte, immortalem gloriam est assecuta: (oportuit enim Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, Luc. 24.) de eius morte, quae & immetae questionis est, in praesentia dicemus; tum de eius ad caelestem gloriam assumptione. Istaec porro quaerimus hodie, de quibus contentiois funem ab aliquibus duci video: Sit ne ipsa mortua? Ubinam, Ephesinae, an Ierosolymis? Quo anno, tum vitae suae, tum Christi? Quo genere mortis, martyrio ne, an placido transitu? A quibus, & quo apparatu curatum funus? Quae prius exspeire necesse est, quam ad ejus in Caelos assumptionem veniamus.

II. De morte Deiparae primus omnium dubium movit Divus Epiphanius Haereti 78. non eam quidem peractae negans, sed ut negare, ita affirmare non auctens, ob silentium videlicet Scripturarum. Quae, inquit, vestigia Scripturarum, (Ex versione Jani Cornarii) & inventient utique, neque mortem Mariae, neque an mortua sit, an non mortua; neque an sepulta sit, an non sepulta. . . . Non omnino definitio hoc, & non dico, quod immortalis mansit; sed nequo affirmo an mortua sit. Excellit enim Scriptura mentem humanam, & in suspensio reliquit propter eas pretiosum, & excellentissimum, ut ne quis ad suspicionem veniat carnalium de ipsa verum. Sive igitur mortua est, non novimus; sive sepulta est, non copulata fuit carni, abste. Quam elumbis ratio illa sit, qua in eam dubitationem adductus est Epiphanius, nemo non videt. Quid enim necesse est, Deiparae mortem Sacris in Litteris enarrari, ut haec ipsi tandem aliquando contigisse, fateamur? Quasi non hoc satis ad certam probationem esse debeat, quod tam discrete, tam luculenter Sacrae Litterae contestentur: Statutum est omnibus hominibus, semel mori, ad Hebraeos 9. v. 27. Quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem? Psal. 88. v. 49. Quidve Deiparae mors in Evangelio narranda erat, quod Christi duntaxat Historiam continet, ad ipsius in Caelos ascensum? Quid in Actorum libro commemoranda, qui a Apostolorum duntaxat gesta complectitur; omnium quidem in commune ad dispersionem usque; tum speciatim Petri, & Pauli ad annum circiter Neronis quartum, Christi vero 63?

III. Nonnulli Epiphano secutis temporibus audaciores, Deiparae mortem non modo in dubium vertere, verum etiam peractae negare ausi sunt, quos longo ordine percontat Franciscus Macedo Tom. 1. de Clavibus Petri lib. 4. par. 2. de Peccato Originali, Sect. 3. tamen non omnes iisdem rationibus admittant. Alii quippe, cum mortem originalis peccati poenam existiment, quo titulo Virginem ab originali peccato liberam putant, eodem quoque a subeunda mortis necessitate prorsus absolvent. Alii ab exemplis praesidium petunt, Enoch, Eliae, ac ipsius etiam Joannis Evangelistae; quos, quia ex hac luce morte non opperita: translato existimant; ita Deiparam eodem privilegio donatam arbitrantur. Utri pejus arguti sint, haud ita facile desiniam. Ac de primis quidem, ut mittam illud Augustini Concione 2. in Psal. 34. quo vel uno tota illorum ratio in fumum abit: Maria ex Adam mortua est propter peccatum: Adam mortuus est propter peccatum, & caro Domini ex Maria mortua est propter delenda peccata: adhuc tamen, posita illibata Virginis conceptione, ejusdemque ab originali peccato immunitate etiam admitta, duae prorsus explicandae, objectae difficultatis apparent viae, ab ipsis immaculate Conceptionis defensoribus ultro tentatae. Prima est, dum ajunt, mortem duplici titulo spectari posse: primum, ut est humanae naturae ex contrariis qualitatibus compactae nativa conditio: secundo, ut est ejusdem naturae immortalitatis privilegio in sui creatione donata, consecuta deinde poena, ex originali peccato: ac propterea Mariam mortem, ut originalis peccati poena est, minime subiisse; etsi eam, ut est nativa humanae naturae conditio passa sit. Quandoquidem Christus ipse, quem ab originali peccato immunem Catholica Fides docet, nativae hominis conditioni relicto, progressu temporis mutationes aetatum, & mortem ipsam senescendo subiisset, judice Augustino, lib. 2. de Peccatorum meritis, & remissione Cap. 29. Quia in eo erat similitudo

carnis peccati, mutationes aetatum perpeti voluit ab ipsa exorsus infantia, ut ad mortem videatur, etiam senescendo, illa caro pervenire potuisse, nisi juvenis fuisset occisus. Altera solvendi nodi via est, dum inquit: Mortem humanam naturam poenam esse ex Adam peccato consecutam, ut ab ipso actu admittum est, non ut est transfusum in posterum. Ex hoc enim unico actu Protoparentis, rota natura immortalitatis privilegio exuta est: In quacumque die comederitis, morte moriemini Gen. 2., adeoque nihil mirum, si ea etiam morti obnoxia fuerit, in quam haereditaria illa culpa carnali propagatione transfusa non sit.

Ceteri ab Henoch, Eliae, adhuc etiam & Joannis Evangelistae exemplis momentum petentes exorbitant aberrant. Elias enim, & Henoch in Caestem patriam, vitae & sensuum integri translati non sunt, sed in terrestrem locum aliquem mortalibus impervium, quem ob sui amentitatem Paradisum de more dicunt: ita tamen ut mortem tandem aliquando sint subituri, antequam ad beatam aeternitatem, Antichristo devicto, & superato, perveniant. Nec alia Joannis Evangelistae fors erit, si (quod Hilario, Ephraemo Antiocheno, Gregorio Nazianzeno, Eliae Cretenfi, Joanni Damasceno, Andreae, & Areta Caesariensis, aliique nonnullis visum est,) morte non opperita translatus alicubi vivit, adversus Antichristum depugnaturus. Sed hanc falsam opinionem esse, ex praepostera Christi oraculo (Joan. 21. sic cum volo manere, donec veniam) intelligentia derivatam, evincit antiquorum Patrum auctoritas, qui Joannem re ipsa mortuum, & Ephesi sepulchrum tradiderunt; ut Polycarpus Joannis ipsius discipulus, Polycrates Ephesius, Tertullianus, Irenaeus, Eusebius, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, Joannes Chrysolomus, ipsaque Synodus Oecumenica Ephesina, cujus suffragium paulo post expendemus.

Nihil igitur est, quod Virginem re ipsa mortuam negemus; quem & mortuum profiteretur Ecclesia in secreta incrementi Sacrificii Oratione, pro conditione carnis migrasse inquit: necnon in pia illa supplicatione, ex S. Gregorii Magni Sacramentario petita, quae in illius assumptionis festo die, a plerisque recitatur: Sancta Dei genitrix Virgo mortem subitit temporalis: & mortuam certissime ponunt illi ipsi mediae aetatis Scriptores, ac Patres, qui eam corpore simul, & animo in Caelos assumptam docuerunt; de quibus nobis praesentatione altera feruo erit.

IV. Illud ut summe quaestioni esse potest, Ephesi ne, an Ierosolymis mortua sit? Ac vix scio, quam in partem dirimi possit: cum spuria, & apocrypha sint ea veteris memoriae documenta, unde lucis aliquid peti possit. Apocryphus enim est, & a Gelasio Summo Pontifice in Concilio Romano confixus liber, qui appellatur transitus, id est, Assumptio B. Virginis, Melitoni Sardenfi in Asia Episcopo, per summam fraudem a Graecis affectus saeculo quinto. Apocryphus liber de Divinis nominibus, ceterique de Caestis, & Ecclesiastica Hierarchia, ac de Mystica Theologia, Dionysio Areopagite pari audacia suppositi, eodem vertente saeculo. Apocryphus liber, seu Sermo de Assumptione, ab aliquibus Hieronymo, in cujus appendicibus extat, ab aliis Sophronio illius amico, & familiaris affectus; sed post obortas haereses, Nestorianam, & Eutychanam fabricatus. Apocryphi demum ejusdem Argumenti Sermones Divo Athanasio, & Divo Augustino tributi, & in apocryphorum classem ab eruditis quibusque Criticis amandati. Quae omnia a Baronio, & Possivino sapienter sunt observata. Quae dicuntur Serry Tom. III.

de morte, & vita Mariae: e Nicephoro, & Damasceno de dormitione ejus: ex Athanasio de Assumptione: (ubi item agitur de Apostolis ad mortem illius convolantibus) ex Dionysio de Divinis Nominibus: ex Hieronymo de transitu Mariae, & de plerisque hujusmodi: ea probat Baronius Cardinalis, esse aut commenta, aut apocrypha mera: neque vero Athanasii, neque Hieronymi unquam illa scripta fuisse. Possivini verba sunt, tomo 2. Apparatus sacri in Mariae Virgine. Ex quibus omnibus praeferre memoriae Documenti, pretiosae eruditus adjuncta discere licuisset: si aliqua apud eruditos starent auctoritate, ac fide. Quare, iis nihil suffragantibus, alio confingere necesse est, ut oppetite mortis locum, atque adjuncta, si fieri quidem id potest, retegamus.

De Virginis itaque tumulo Ierosolymis, ut jam commuiter creditur, assertivo nihil unquam auditum, ante annum 451. Tunc scilicet Juvenalis Ierosolymorum Episcopus, mortuum primum Marciano, & Pulcheria de retegendo, sicuti foret, Virginis corpore pie sollicitis, respondisse fertur, Marianum sepulchrum Gethsemani juxta Ierosolymam situm esse; inane tamen, ac vacuum. At fertur datum illud Juvenalis Responsum, non tamen certo liquet: cujus testis omnium primus producit Euthymius Historicus, ignoti nominis Scriptor, ac tota retro antiquitate ignoratus; ex quo tamen uno Joannes Damascenus, Andreas Cretenfis, Nicephorus Callixtus, aliique mediae aetatis Scriptores narrationem hanc rotam mutuati sunt, atque ad posterum transmiserunt. Nec, si quid Iustitiani Marciano respondit Juvenalis, integram illic fidem facit: quem lubricae fidei virum, turbarum in latrocinio Ephesino excitarum incertorem, variorum criminum reum, & falsatorem instrumentorum manifestum dicunt, S. Cyrillus Alexandrinus, & S. Leo Romanus Pontifex.

Et quidem D. Hieronymus, qui magnam vitae partem Ierosolymis egit, & D. Epiphanius non longo inde locorum spatio disjunctus; cura sacra Palaestinae loca, & diligenter, & curiose descripserint, nihil unquam de Virginis tumulo vel obiter insinuarunt: uti nec Eusebius, Theodoretus, & Sozomenus. Quin etiam Leo Magnus, destinatus ad Juvenalem Epistolis, anno post datum, ut fingitur, Marciano responsum dicitur tertio, nihil de Virginis sepulchro omnino habet; quamquam de sacris Ierosolymorum locis Fidelium cultu, ac religione frequentatis agat ex insinuat. Adeo scilicet sublesta fidei est, quod vulgo jaclatur datum a Juvenali Marciano, & Pulcheriae responsum, de Virginis sepulchro Ierosolymis asservato. Aut, si ita respondit, falsa dedit, dum verba dedit.

V. Quare Ephesi mortuam Virginem, ac sepultam, verisimilius existimaverim, ob luculentum Concilium Oecumenicum, ibidem anno 431. celebrati, testimonium in Epistola Synodica ad Clerum, & populum Constantinopolitanum, ubi Patres Nestorium in urbe Ephesi damnatum scribunt, in qua Theologus Joannes, & Dei Genitrix Virgo Sancta Maria. Qua loquendi formula nihil aliud significatum voluere, quam Joannem Theologum, & Virginem Deiparam illic esse; subintellecto scilicet verbo est; quod juxta Graecae, & Latinae Grammaticae leges, non modo subintelligitur commode, verum etiam eleganter: illic vero esse, utique inhumatos, cum alio tunc modo illic esse non possent. Quod respondent aliqui, mutilam esse Synodi phrasim, suppleendumque, aliquando habiturum; aut sacras ades habent; aut magno in honore sunt; ut alius plane reddatur sensus; frivolum est. cum textus mutilationem, & H h de-